



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. XXI. An solus Superior Regularis possit dare licentiam monialibus, in casibus licitis à Monasterio ergediendi; an verò etiam Episcopi licentia requiratur. Et utrùm Confessarius monialium, qui ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

6 Secundus casus est quando per tempus immemorabile, laxior regula fuit observata; quo casu cum nova videatur introduci regula, non est quis ad illam adstringendus. Panormit. in cap. Deus qui 11. de vit. & benef. cler. c.

7 His tamen non obstantibus, se diligentius considerata, & in deliberationem deducta cum viris admodum eruditissimis; Censuimus ex vi ordinationis Regiae, quae Concilio Tridentino conformis est, cogi posse quascunque Moniales in congregatione viventes, ad observantiam clausurae; non obstante quacunque contraria, etiam immemorabili consuetudine. Atque ita de iure interrogatus, Respondi quibuldam Provinciae Monialibus, anno 1641. licet alias re non ita discussa; aliud sensissem an. 1632. Siquidem Regia ordinatio monet Episcopos, Archiepiscopos, & alios Superiores Monasteriorum Religiosarum, ut diligenter & serio incumbant reformationi & maintenance clausurae ipsarum, illasque ad id cogant per censuras Ecclesiasticas, & alias poenas iuris; injungendo Regiis officialibus, ut ipsis opem & auxilium ad hunc effectum praestent. Prohibendo dictis monialibus ne post factam professionem, sub quocunque tempore, aut sub quocunque praetextu seu colore, à monasterio exeant, nisi legitima de causa ab Episcopo aut Superiore approbata. Et hoc non obstantibus omnibus dispensationibus, vel privilegiis in contrarium. Haec sunt verba Regiae ordinationis, quae continent derogationem omnium privilegiorum, & dispensationum quarumcunque quae in contrarium allegari possunt; adeo ut eadem ratione, imò & multo fortius, cuicumque consuetudini, quamvis immemorabili, derogatum per dictam constitutionem censetur: & cum consuetudo immemorialis, & privilegium pari passu ambulent. Felin. in cap. accedentes 11. num. 6. de prescript. Rot. decis. 614. num. 2. part. 2. recentior. & decis. 11. num. 2. & 3. ead. part. 2. Unde propter vim clausulae derogatoriae, cum alias orta esset controversia inter Religiosos ordinis Praemonstratensis, utrum censeretur sublata primitiva dicti ordinis regula in certis capitibus in hac usque tempora observari consuetis, per confirmationes factas in favorem reformationum ejusdem ordinis: fuit alias decisum in Rota Romana, per plures decisiones; derogatum fuisse regulae in illis capitibus quae non erant contraria tribus votis substantialibus Religionis; nempe paupertatis, castitatis, & obedientiae: veluti in eo capite in quo fuerat stabilitum, religiosos professos censeret affiliatos illius domus, seu monasterii, in quo professionem emisissent; & recte factam fuisse regulam in contrarium, quod liceret religiosos Superiore volente ad ejus libitum, ab uno monasterio ad aliud ejusdem ordinis transferre: ut per Rot. decis. 4. num. 9. & 33. num. 4. part. 6. recentior. in Tullensi reformationis, ann. 1630. & 1631. coram eruditissimo & illustrissimo Domino meo Domino du Noizer Rotae Decano.

10 Nec potest allegari aliqua temporis etiam immemorabilis praescriptio, quando agitur de consuetudine irrationabili, vel iniqua, aut bonis moribus contraria, qualis est ea, quae Moniales extra clausuram divagantur; cap. final. de consuetud. & Non obstat consil. Oldradi 96. Quia procedere potest, quando agitur de nova regula introducenda, contra primam institutionem; & de iis in quibus non versatur utilitas publica, & periculum pudicitiae virginalis & honestatis, prout in casu isto; cujus favore certum est potuisse summum Pontificem, & cum eo Regem Galliae Christianissimum constitutionem praedictam edere, quae Moniales ad clausuram obligentur: si-

quidem clausuram servare, aut non servare, non dependet à voluntate monialium: sed ipsis etiam invitis & reluctantibus, possunt supremi Moderatores, penes quos hujus rei potestas est, illas ad clausuram observantiam cogere; non ex ipsarum voluntate, sed ex legis & constitutionis potestate, & auctoritate: ut dicit Bonacin. in tract. de clausura. quest. 1. punct. 2. n. 5. Mirand. de Monialib. in 1. quest. art. 4. conclus. 6. vers. sed monico. Unde fuimus Pontifex in sua constitutione, foundationibus & consuetudinibus etiam immemorialibus expresse derogavit.

Secundum argumentum petiit ex d. cap. insinuante, Qui cleric. vel coen. locum habere possent, si ageretur de voto emisso ab ea, quae non vult in congregatione vivere; nam quoad moniales in aliarum coetu & congregatione viventes, non possunt se eximere à clausura, propter claram legis & constitutionis prohibitionem, ex tradit. per Bonac. loc. proxime cit. Et propterea non assentior rationi allatae per Scott. in select. Pontific. constit. Theorem. 227. dum voluit clausuram, in voto castitatis antecederet promissam censeret: quia Respondeo votum castitatis extra congregationem sine clausura subsistere posse.

Ad id quod tertio loco dicitur, ex Gloss. & Joan. Andr. in d. cap. periculo 1. de stat. regular. in 6. Respondetur hodie constitutionem illam super monialium clausuram, editam fuisse per Regiam ordinationem, quae non vigeat tempore Joan. Andreae. Imò & dictam sanctae memoriae Pii V. constitutionem ann. 1566. editam observandam esse in Gallia, testatur Theven. ad ordin. Reg. lib. 1. tit. 10. art. 8. & 9.

Quod verò opponitur de professione limitata ad certam regulam, & ad certam vivendi normam; eandem admittit responsionem, quae in responsione ad secundum argumentum allata est: ut locum quidem habeat in ea, quae separatim in domo sua vivere desiderat; non autem in ea quae in congregatione aliarum monialium religiosum statum ducere vult: ex Bonacin. & Mirand. ubi sup.

Similiter, & ad id quod opponitur de consuetudine immemorabili, superius responsum fuit, sublatum esse omne privilegium, & consuetudinem, ex mente constitutionum in hac materia editarum: praesertim quando talis consuetudo non est rationi consentanea, ut supra diximus num. 10. Nam per clausulas generales non obstantiarum, censetur huic consuetudini irrationabili derogatum. Rot. decis. 71. num. 6. & 7. part. 5. recentior. Addent. ad Burat. decis. 435. num. 16.



CAPUT XXI.

An solus Superior Regularis possit dare licentiam Monialibus, in casibus licitis, à monasterio egrediendi: an verò etiam Episcopi licentia requiratur. Et utrum Confessarius monialium qui non impedit talem egressum, puniendus sit poenis contentis in Bulla Pii V. Et quid circa hoc observetur in Gallia, & Hispania.

S Y M M A R I U M.

1 Licentiam egrediendi à Monasterio iustis de causis, Superiores Regulares sine Episcopo concedere

- cedere possunt, ex multorum sententia. Alii tamen contraria fuerunt opinionis, ut num. 2. Et hac sententia verior est, & conformis declarationi sacrae Congregationis Concilii, numero 3.
- 4 In Gallia sufficit licentia solius Episcopi, vel solius Superioris Regularis, ut moniales egrediantur e monasterio. Item in Hispania, numero 5.
- 6 Quae poena per Bullam sanctae mem. Pii V. imponatur monialibus, & Superioribus, sine licentia legitima egredientibus, vel egressum permittentibus.
- 7 Moniales sanctae Clarae, speciale votum clausurae emittunt.
- 8 Confessarius excusatur à poena constitutionis editae super clausura monialium, si classicorum Doctorum sententiam, quamvis erroneam, sequatur.
- 9 Confessarius tenetur obedire sui Superioris praecepto, etiamsi dubius sit utrum illud sit iustum, an non.
- 10 Subditus tenetur suo Superiori obedire, quando solam habet dubitationem, utrum quod sibi praecipitur, sit illicitum, si id non cognoscat evidenter.
- 11 Confessarius tenetur praecepto sui Superioris obedire, quando id quod praecipitur iustum est; sed si dubitatur de auctoritate & potestate iubentis.

Dubium mihi à quodam Religioso probo & erudito, qui nonnullarum monialium confessiones audiebat, ex Superiorum commissione sibi data propositum, duo continebat capita. Primum, ad quem spectet facultas dandi licentiam Monialibus exundi in casu licito à monasterio, an ad Superiorem regularem habentem jurisdictionem quasi Episcopalem solum, an verò ipsius etiam Episcopi licentia copulativè requiratur. Secundum, utrum Confessarius Monialium qui non impedit illarum egressum, incidit in poenas contentas in Bulla fel. recor. Pii V. si ultra sui Provincialis licentiam, non curavit adungi licentiam egrediendi, in scriptis ab Episcopo concedendam.

- 1 Ad primum dubium Respondi, varias circa questionem illam reperiri Doctorum sententias. Nam quod sola Superioris Regularis licentia sufficiat, veluti Provincialis, aut alterius jurisdictionem quasi Episcopalem habentis, tenuit Navar. conf. 48. num. 6. de regular. in respons. ad 2. question. Jacob. de Graff. part. 1. lib. 4. cap. 23. num. 6. Eman. Roderic. quest. regular. tom. 1. quest. 49. art. 6. Mirand. de sacris monial. quest. 3. art. 6. Portel. in dubiis regul. in verb. clausura monialium, §. egressus, num. 26. Hieron. Roder. res. sol. 26. num. 41.
- 2 Contrarium tamen tenuit Barbof. in tract. de poen. test. Episc. part. 3. alleg. 102. num. 28. & in tract. de jur. Eccles. lib. 1. cap. 44. num. 89. Joan. Bap. Scott. in select. Pontif. constit. theore. 228. vers. declarat etiam. Tambur. in tract. de jur. Abbatif. & Monial. disp. 20. quest. 5. num. 6. & 11. Eandemque sententiam probat Sanch. in praecep. decalog. part. 2. lib. 6. cap. 15. num. 28. Quod tamen intelligendum est, ut procedat, nisi constitutionibus religionis aliter cautum sit, ut testatur Bonacin. in tract. de clausur. quest. 1. punct. 8. num. 1.

- 3 In hac Doctorum contrarietate, posterior sententia tenenda est; nempe non licere Monialibus subiectis Sedi Apostolicae, vel Superioribus regularibus,

egredi è monasterio in casibus per Bullas & constitutiones Apostolicas exceptis, nisi adit simulaneus consensus, tam Episcopi, quam Superioris regularis: adeo ut si illae quae Superioribus regularibus subditae sunt, ausae fuerint egredi cum sola Superioris regularis licentia; nec illam simul ab Episcopo habuerint, puniri possint per Episcopos loci ordinarios, poenis in Bulla Pii V. contentis, non obstantibus quibuscumque privilegiis, & exemptionibus in contrarium. Sic enim determinavit sacra Concilii congregatio, teste Barbof. in dec. Apostol. collect. 509. n. 6.

In Gallia tamen, sola Superioris Regularis licentia sufficit, neque ulla infligitur poena monialibus, sic è monasterio egredientibus: quia Regia ordinatio loquitur alternatim, requirens licentiam Episcopi, vel Superioris. † Idemque in Hispania servari testatur Theveneau ad ordin. Gall. lib. 1. tit. 10. art. 9. Scott. dicto Theorem. 228.

Pro responsione ad secundum dubium, supponendum in primis est, quòd per Bullam sanctae memor. Pii V. quae inseritur apud Quarant. in summ. bullar. in verb. monasteria monialium, renovata fuit constitutio cap. 1. de stat. regul. in 6. Et per aliam constitutionem ejusdem Pontificis, quae incipit. Decoris, cujus epitome habetur apud Scott. in select. Pontif. constit. epitom. 93. fuit additum, non licere monialibus etiam ex Regia prolapia, vel praetextu cujuscunque facultatis, aut infirmitatis, egredi è proprio monasterio, nisi causa magni incendi, leprae & epidimiae, cujus causae approbatio fieri debeat in scriptis per Superiores simul, & per Ordinarium; quamvis monasteria sint exempta: & in dictis casibus, licentia detur solum ad tempus necessarium: & si licet fiat, egredientes ipsae, dantes licentiam, comitantes, & recipientes sint ipso facto excommunicatae; & absolutio Papae reservetur: & egressae, ac dantes licentiam, priventur omnibus dignitatibus & officiis, atque ad eadem, & alia fiant inhabiles in futurum.

Et ideo propter illud verbum, comitantes & recipientes, quòd eadem ratione comprehendere videtur omnes auxilium & opem praestantes; agebatur contra confessarium, quòd egressum monialium non impediret: † maxime cum ageretur de Monialibus sanctae Clarae, quae speciali voto ad clausuram obligantur: ut testatur Eman. Roderic. tom. 1. quest. regular. 49. art. 1. in fin.

Dixi nihilominus confessarium non posse ullatenus molestari, nec in poenas Bullae incidisse. Quia cum Doctores classici illam opinionem teneant, quòd solius Provincialis licentia sufficiat, nec declarationes sacrae congregationis omnibus, quamvis eruditis, notae sint; non videtur poena dignus, qui tot praeclarorum Doctorum sententiam sequatur. Ita in simili ferè casu Bonacin. in tract. de clausur. quest. 1. punct. 9. num. 19. Ubi asserit, quòd licet monialibus licentia exundi concedi nequeat, ob maximum periculosum qui non sit contagiosus; tamen si Superiores talem licentiam concesserint, non sunt puniendi: quia pro se habent opinionem Doctorum Classicorum, imò sola Doctoris Navari auctoritas excusat à poena illum, qui credidit solam Superioris regularis licentiam in hac materia sufficere: ut dicit Eman. Roderic. d. tom. 1. quest. regul. 49. art. 3. vers. sed advertendum. Sanch. in praecep. decal. d. lib. 6. cap. 15. num. 42.

Et hoc multò magis locum habere debet in Confessario, qui sui Superioris praecepto obedire tenetur, etiamsi sit dubius an res quam sibi praecipit Superior sit justa vel injusta: ut copiose comprobatur Sanch.

loc. proximè citat. lib. 6. cap. 3. num. 3. Dian. part. 2. tract. 13. de opin. probab. art. 10. † Ubi concludit hanc probabiliorē, & communiorē esse sententiam; quod subditus tenetur suo Superiori obedire, quando solum opinionem habet, illud quod sibi præcipitur esse illicitum, quia Superior habet potestatem omnia subdito præcipiendi, quæ subditus non cognoscit evidenter esse illicita, & ultra Superioris potestatem. † Quod multo magis locum habere dicebam in casu proposito, quia ipsi Confessarius constabat rem justam, esse ex se fundatam in iustitia & aequitate; sed solum dubitari poterat, utrum præceptum peccaret in forma ob defectum potestatis Superioris; quapropter non solum poterat, verum etiam tenebatur Confessarius præcepto sui Provincialis obedire. Sanch. in præcep. decal. lib. 6. cap. 3. numero 4. Et per has rationes, non fuit amplius dictus Confessarius molestatus, anno 1638, mense Julij.



CAPUT XXII.

Mortuo Pensionario, utrum Pensiones non exactæ transeant ad ejus hæredes. Et utrum nondum maturatæ transmittantur ad ipsos, pro rata temporis. Et quomodo hujus ratæ computatio fieri debeat.

SUMMARIUM.

- 1 Clerici saculares in statu Avenionensi, habent facultatem disponendi de fructibus suorum beneficiorum, ex privilegio, & consuetudine.
- 2 Pensionarius transmittit ad hæredes pensiones decursas, etiam in locis ubi Clerici non habent facultatem testandi: non tamen fructus beneficiorum: & quæ sit ratio.
- 3 Referuntur duæ sententiæ, quarum una solos pensionis maturatæ terminos, transmittit ad hæredes existimat: alia verò pro rata temporis, num. 4. Rota distinguere solet inter cessationem pensionis voluntariam, & necessariam, num. 5.
- 6 Computatio pensionis fieri debet, ex sententia aliquorum, secundam ratam temporis quo pensionarius vixit.
- 7 Annus pensionis beneficiaria computari debet ad ratam temporis perceptionis fructuum, non temporis vite illius. Et hæc vera est sententia.
- 8 Anni computatio in materia pensionum Ecclesiasticarum, incipit à die quo pensiones reservatæ sunt, à quo tempore fit computatio rata fructuum perceptorum. Quod propositis exemplis explicatur.
- 9 Annus à quo tempore incipiat in aliis causis præter pensiones Ecclesiasticas. Remissivè.

Pensionis reservatio facta fuerat die 7. Novembris anni 1630. in quolibet festo Sancti Joannis & Natalis Domini, pro medietate solvenda. Mortuus est pensionarius in principio Februarij 1632. Unde dubitatum fuit, utrum tota pensio ad hæredes translata fuerit, an pro rata temporis, à die re-

servationis 7. Novembris computando, an verò à die fructuum perceptorum.

Pro cujus questionis resolutione supponendum in primis est, quod in civitate Avenionensi, & toto ejus statu, Clerici ex antiquissima consuetudine, & summorum Pontificum privilegiis, ac concessionibus, habent facultatem testandi, & de fructibus suorum beneficiorum disponendi in favorem suorum hæredum; exceptis tamen Episcopis, & Religiosis, quibus specialis testandi facultas concessa non est. † Et tamen quamvis testandi facultas non esset alicui Episcopo, aut alteri concessa, transmitteret nihilominus pensiones non exactas ad hæredes, sive ex testamento, sive ab intestato; cum debeat fieri differentia inter fructus beneficiorum non exactos, & pensiones. Illi enim remanent in dominio Ecclesiæ: Pensiones non item; cum in mera temporalitate consistant, ut dicit Marefcor. lib. 2. var. resol. cap. 2. Et ante cum Gigas de pension. quest. 52.

Quibus ita suppositis, adverto varias circa propositam difficultatem fuisse Doctorum sententias: & inter cæteros, Barbol. in l. divorzio 8. ff. solut. matr. part. 2. num. 39. usque ad 44. re diligenter examinata, concludere videtur num. 43. solos pensionis maturatos terminos ad hæredes transmitti, ita ut pensionarius iste, solum terminum in die Natalis Domini decursum transmittat; nihil autem de futuro, in diem Sancti Joannis Baptistæ destinator quem sequitur Castill. in tract. de usufruct. cap. 79. num. 17. cum aliis per eos citatis.

Alij verò æquiorē, & magis communiter receptam amplexi sunt sententiam; à qua in judicando & consulendo non est recedendum: ut scilicet nec tota pensio successor in beneficio, nec tota hæredi pensionarij adjudicetur, sed ad utrumque pro rata temporis pertineat. Quam sententiam intrepidè sequutus fuit Peregrin. in tract. de fideicom. articul. 49. num. 191. post plures alios per eum allegatos. Costa qui plures etiam citat, in tract. de ration. rat. quest. 10. numero 4. Gabriel conf. 191. per tot. vol. 2. Honded. conf. 85. num. 13. 23. & seqq. cum pluribus ibi citatis volum. 2.

Rota verò Romana post varias super hac questione deliberationes, tandem hac distinctione dubium terminavit, quod aut pensio per actum voluntarium, veluti per translationem cessavit; aut per actum necessarium, veluti per obitum pensionarij. Primo casu, quia is qui cedit seu transfert pensionem, nihil sibi reservasse censetur: idè tota pensio ad cessionarium seu translatarium pertinet. Secundo verò casu, pro rata temporis ad hæredes pensionarij transit: ut habetur apud Put. decis. 14. per tot. lib. 3. & in decis. 278. num. 6. part. 2. in recentior. Ubi etiam d. consil. Gabriel. 191. lib. 2. fuit approbatum, necnon Honded. conf. 85. lib. 2. & tradit Theodos. Rub. in suis observat. ad decis. Orani in Seguntina beneficiorum, t. Jun. 1592. num. 4. Lotter. de benef. lib. 1. quest. 44. num. 1. usque ad 19.

In praxi tamen, quomodo computanda sit hæc rata temporis, non satis constat. Dubitari siquidem potest utrum rata ista considerari debeat, & computari, habitâ proportionē ad tempus quo pensionarius vixit, prout computari debere censuit Nic. Garf. in tract. de benefic. part. 2. cap. 1. à num. 105. usque ad num. 125. maxime verò num. 120. ita ut si pensionarius mortuus fuerit mense Februarij, pensio ad ejus hæredes transmittatur pro rata termini decursi ut loquitur Garf. ibid. num. 116. & sic pro rata temporis decursi à die natalis Domini. Cujus opinionis funda-